

1070, gener, 30

Guillem i Ermengarda, en lliurar la seva filla Garsinda a Sant Daniel, fan donació al monestir d'alous situats a Sant Martí Vell, indret de Castellar, a Juià i a Sant Feliu de Girona.

ASD núm. 10, perg. orig., 80 x 495 mm.

Dum legaliter sancitum antiquitus teneatur · actuum cum oblacionibus Domino parentes suos tradere filios in templo Domini feliciter seruituros, procul dubio hoc de nostris faciendum nobis salubriter prebetur exemplum, e quo enim iudicio creatori nostra de nobis redditur fructus. Iccirco nos Guilielmus et Ermengardis offerimus in Dei nomine filiam nostram nomine Garsinda in monasterio Sancti Danielis Sanctique Saluatoris quod situm est prope riuolum Gallicantii, in quo monasterio donna Arsinda abbatissa preesse uidetur, cum oblacione atque petizione, palla altaris manu sua inuoluta ad nomen Sancti Danielis martiris cuius reliquie ibidem continentur, et supradicta abbatissa presente tradimus coram testibus regulariter permansuram cum omni sua ereditate quam ei succedere debet pro qualicumque uoce, sicut lex gothorum continet. Et est ipsa hereditate in Castellaro, in parrochia Sancti Martini Uetulo, et affrontat a parte orientis in parroechia Sancti Stephani Matremagna, de meridie in torrente de Esclauonos, de occiduo in ipso collo de Ualle Profunda, a parte uero circi in terminio de Biuiano et de Ualle Amelia. Alia pecia de terra de ipsa Sureda, e<s>t in parrochia Sancti Petri de Juliano, et affrontat a parte orientis in terra de Balluino cum suis heredibus, de meridie in ipsa strata publica que pergit a Gerunda, de occiduo in terra de Adalbert cum suis heredes et Sancti Danielis, a parte circi in terra de Guilielmo Segaria. Et in parrochia Sancti Felicis, in cunnamina de Peziedes, mugada .I. de terra, et affrontat de oriente in terra de Deusdedit et suis heredibus, de meridie in terra de Sala et suos heredes, de occiduo de me Guillem donatore, a parte circi similiter. Quantum iste affrontaciones includunt, sic donamus predicto altario predicta omnia ad integrum cum ingressibus et regressibus, et in dominium eius transfundimus, ut ab hodierna die et tempore supradicta filia nostra simul cum supradicta omnia quiete et secura(sic) possideat sine ullius inquietudine. Quod si nos donatores aut aliquis homo utriusque sexus contra hanc donationem uenerimus aut uenerit ad irrumpendum, nil ualeat, sed componamus aut componat suprascripto altario supradicto omnia in tripla cum omni sua inmelioracione, et inantea ista donacio firma permaneat omnique tempore, ita ut ab hac die non liceat illi collum excutere de sub iugo regule, sed magis eius feliciter se cognoscat instituta seruare et Domino cum ceteris gratatim animo militare. Et ut hec nostra oblacione inconuulsa permaneat, promittimus sub iureiurando coram Deo et sanctis omnibus numquam per nos nec per sufecitam personam nec quolibet modo per rerum nostrarum facultatum aliquando egredienti de monasterio tribuemus occasione, et ut hec peticio firma permaneat, manus nostras proprias subter firmamus et bonis uiris firmare rogauiimus.

Actum est hoc .m. kalendas februarii anno .x. Philipi regis regni.

Sig+num Guilielmi, sig+num Ermengardis, qui hoc firmauimus et firmare rogamus.
Sig+num Senfre. Sig+num Arnall Gillem. Sig+num Gillem Sunier. Bonifilii presbiter+*.

(s. *man.*) Iohannes clericus ipodiaconus, qui hoc scripsit die et anno prefixo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 77-78